DE ACU-PRESSORE DISSERTATIO QUAM ANTONIUS FELIX GIACICH...

Antonio Felice Giacich

DE

ACU-PRESSORE

Dissertatio

QUAM

ANTONIUS FELIX GIACICH

ISTRIANUS E LAUVRANA

AD MEDICINÆ LAUREAM RITE OBTINENDAM

IN C. R. ANTIQUISSIMA ET CELEBERRIMA

UNIVERSITATE PATAVINA

EDIT

PATAVII

TYP. CARTALLIER ET SICCA

1838

640

Si ulla temporis praeteriti jucunda esse potest recordatio non tam temporis infantiae et pueritiae, quam primae in studiis et artium rudimentis exactae aetatis, grata animis a sensu vulgi remotis memoria redire solet.

QUINTILIANUS.

VIRO PRÆCLARO ET ILLUSTRI

FRANCISCO WEBER

CÆSAREO REGIO CONSILIARIO GUBERNIALI

ET PROTOMEDICO TERGESTI EJUSQUE LITORALIS

ETC. ETC.

HASCE PAGELLAS

QUIPPE MAXIMI OBSEQUII TESTIMONIUM

AUCTOR DEVOTISSIMUS

D. D. D.

42

De arteriarum obliteratione atque sequelis generatim.

Non raro illius est, cui munus incumbit corporea emendandi vitia, liberum praepedire sanguinis transitum per aliquem ex arteriarum ramis, atque ipsius sanguinis transmittendi a centro ad partes periferiae extimas providum officium adimere. Hujuscemodi operatio vulgo *obliteratio* nuncupatur.

Permultae variaeque methodi ingenio chirurgico inventae fuere ad obturandam arteriam continuam nomine peculiari designata vel ad sacci aneurysmatici funestam scissuram praecavendam, vel ut mortifera haemorrhagia sistat; nihilominus, celebri dynamica Valsalvae therapia excepta, haec adhiberi solent, dummodo situs partium sinat arteriarum quae adfectae sunt super parietibus ipsis: modo in régione arteriae aegrotae, modo in illius transitu ipsam inter et cor, ipsam demum inter et longinquas extremitates. Ut res autem plane elucescant, idoneum putavi cunctas curandi rationes usque adhuc oblatas adhibitasque proferre quasi in synopsi ordinatim pro classibus et generibus illarum actioni atque adplicationis sedi consonis (1).

Nostrae Chirurgia aetatis ad eximium excellentiae gradum perducta assequi studet quippe majoris momenti, vel validiore pollentia praeditos hujuscemodi processus, qui cor inter et partem adfectam organicam obturationem producere valent, operatione pathologica ex necessario virium natu-

(1) Prospectus in fine locatur.

ralium nisu promanante freta. Propter inflammationem cum lymphae adhaerentis (vulgo concrescibilis) exsudatione, quam clariss. Prof. Wattmann inflammationis parvo in cyclo nomine insignire placuit, hoc fit. Haec vero mechanicorum stimulorum ope diversimode, directe aut indirecte super arteriae transitum cietur.

Ob ipsos certo temporis spatio continuo admotas ad mutuum et perfectum contactum vasis parietes aguntur, quo in statu remaneant oportet, uti operatoris incaeptum prorsus absolvatur. Ubi transitus autem arteriae, et qua stimuli ratione inflammatio haec excitanda sit, ut vitium systematis vascularis abigatur varie et diverse, a primis Chirurgiae temporibus hucusque disputatum est, quin a salutarem artem colentibus adhuc de hoc discrepantibus lis dijudicata sit.

Haec artificialis phlogosis beneficam exsudationem creat lymphae a superficie interna canalis vascularis, cujus tenuior pars rursus e superficie, unde stillat, absorbetur, spissior vero ibi remanens pedetentim eo plus solidescit ita, ut demum substantiam compactam fibrosa textura praeditam impulsum tunicarum, quae illius ope adhaerent magis obsistentem exhibeat, quod plane ex repetitis experimentis in bruta confirmare potui.

Statim ac quilibet mechanicus adparatus arteriae adplicatur ad intercipiendam sanguinis circulationem, quae illius in ductu fit, extemplo ejus cavitas usque ad proximas diramationes deleri incipit, quod potius tunicarum subsequentem ob crassitiem, quam effusam ob lympham evenit. Interrupta sanguinis per ramum arteriosum circulatione, illius tunicae paullatim crassescunt, atque ita ejus cavitas coercetur. Quin organicum sepimentum ullo in arteriae puncto provocatum fuerit, dum-

modo aliquamdiu circulatio interrupta sit idem succedit. Hoc a me compertum fuit ex iteratis in bruta experimentis in ipsorum arterias institutis. Postquam interceptus fuerit aliquot per horas sanguinis fluxus aliqua in arteria, ubi non adhuc fieri potuit adhaesio lymphae plasticae auxilio, animantis in autopsia arteriae membranae crassatae reperii stipatiores et plus consueto compactae, diameter illius coarctatus, qui veluti duplicis coni subversi obferebat formam apice compressionis punctum tangentis, etiamsi nec per trumbos, nec per adhaesivam lympham sepimentum confectum fuerit.

Cum repente aliquam per amplam arteriam transitus cessat, quod saepius ligatura efficitur, symptomatum tum localium, tum generalium terrificus adparatus exurgit, artus consueta sanguinis irrigatione carens pallet, friget nec non torpet, et demum sensibilitate vacat; illius temperies ei quam corpora circumstantia donantur, ablata vitali vi thermogenesim sustinente, respondet; quamobrem fit, ut caeterarum partium temperiem ipsa excedat si artus hicce vel aqua calida immergatur, vel sabie calefacta obducatur. Dein frigido sudore irrigatur et jacet quasi vitali vinculo sejuncta a caetero organismo cui attinet, ita ut prope versetur funestas metamorphoses ad naturam corporum vita orbatorum accedens. Et re quidem vera, si natura beneficis suis viribus prompte non opituletur, artus emoritur; vel si mortuum organismo confestim non sejungatur, toto corpori ruinam adfert. Graviora symptomata organismum adoriuntur: aura insuavis frigoris corpus perstringit, fronte sudor fere lethalis effluit, pulsus propterea quod sanguis in minori spatio cohibitus sit digito exploranti pleni durique obsistunt, cor inordinata circulatione palpitat, deliquia vicissim inter sese succedentia, atque anxius angor aegrotum

torquent; et si ars medica tempestive et sapienter non provideat, syncopes graves, nervorum turbae a parte adfecta super centra maxima dimanantes misero aegrotanti necem inferunt. Cum vero natura pollentibus suis viribus arti suffragatur, et cum haec sapienter illam moderare valet, sensim sensimque aeger de infelici suo statu exurgit, formicationis in artu sensus pristinae valetudinis nuncium experitur, aegrotanti ab hujusmodi statu refecto, qui modo plus modo minus ipsum cruciat post operationem, alia adhuc symptomata instant, quae ex impedito circulationis aequilibrio cum vasis collateralibus constant, ex haemorrhagia subsequenti, et ex obturationi vasis pervicacia, quae funesta epigenomena vero lugubribus notis in Chirurgiae annalibus designantur.

Aliquo in trunco arterioso circulatione impedita, subit novus circulationis ordo per vasa collateralia, quae in ramos dividuntur supra operationis sedem, quo in lusu Chirurgi studium atque salutarem operam natura secundat non secus ac viridarii, qui arboris ramos deputat, et pulchro ordine illos disponit spe fretus, ut ipsa ramulos in virgas, et virgas in fructiferos lucos mutet. Ast sicuti non raro arbor rejicit industriae labores, ita ut per scissos ramos succis egenus arescat; simili pacto illo in organismo fit, in quo opera ferre recusat, ut per collateralia sanguinis circuitus iterum restauretur. Talia incommoda saepe saepius usuveniunt, quare non frustraneum reputo artem chirurgicam colentium sub oculis ponere, quod damna minui possunt compressione nimirum mediata trunco adfecto aliquamdiu ante operationem adplicita, certis temporis et gradus regulis; quam ob rem natura ad laxandos vasorum collateralium textus, nec non ad augendam illorum capacitatem intenta, aliquo pacto mu-

neribus actu ipso operationis eidem impositis exoneretur.

Haemorrhagia subsequens illa, quae aliquamdiu post operationem succedit, nuncupatur. Ipsa in situ ubi operatio facta est ortum habet, ejus epocha incerta est, quoniam mense et plus temporis post operationem accidere potest. Illius mina expertissimos latet, nec ejus clades si accidere debet praeverti potest. Saepe aeger sicut et medicus curans, laeti de adempta deformitate, repente sanguinis fons non adhuc obducti vulneris sinu dehiscit, ubi prius laquei adhibiti sunt, et brevi diuturna curatione irrita, cadit aeger exangue cadaver, vel aliae curationi praecedenti periculosiori illum subjicere necesse est. Chirurgiae cultores indefessis investigationibus, experimentis innumeris praevertendae hujusmodi noxae reperire studuere; perinde ac de instituendis substituendisque processubus subsequenti hiatu arteriae obstantibus certarunt, sed quamvis varia fonte utilem nemo scopum prorsus attigit, ut remota praecaverentur haemorrhagiae damna, atque ita laetior boni exitus spes metum prope contigerit. Varias sententias de hoc prolatas revocare dissertationis limites vetant. Ipsa vero originem eruit ex pathologico processu in tunicis ipsis vasis laesi ex operando actubus, nec non materiebus, quae ipsum ligant atque arctant. Illa inflammatio benefica et salutaris de qua superius brevi disserui, illa ipsa inflammatio cujus exsudatione vasi tunicae coalescere deberent, aliquamdiu potius necis quam vitae causam praebet. Cuilibet placet meminisse varios cursus variamque indolem, quam processus phlogisticus sumere potest, facile quomodo hic inflammationis exitialis exitus eveniet intelligat. In quovis, cujus in vasculare systemate adfectio hujuscemodi lateat, ut aliqua ex dyscrasiis syphilitica licet scor-

butica, arthritica ipsum vexet, quarum substratum in vasis residet, quibus dyscrasiis pathologi vasculares abnormitates, atque aneurysmatum genesim aliquo pacto explicant irritamentum vittis vasum cingentibus illatum; non re quidem vera idoneum phlogoseos cyclum cum lymphae plasticae exudatione, verum diversam inflammationem anomalam atque ad abnormen tum sua pro natura, cum suis pro effectibus, exulceratione idest aut gangraenescentia consequis, ciet, paullatim vasis parietes corrosae extra naturales cavitates sanguinis effusionem hiabunt.

Hae funestae dyscrasiae etsi textum continuitati noxam non adferant, tamen non raro male Chirurgi artis arrident. Inflammatio haud amplius necessariam lympham praebet, sua stadia conficit quin parietes mutue adhaereant, et hinc vas obturationi renitens quodlibet mechanicum auxilium frustratur.

Acus-pressor.

Perspicuum est uti tanta in copia processuum ad aneurysmatum sanationem per arteriae obliterationem, tanta in varietate formarum, tanta in incommodorum caterva, quae illas comitantur, jugiter discrepent atque fluctuent Chirurgorum opiniones prae difficili curatione hujuscemodi abnormitatum arteriosi systematis. Nihilo secius tot methodorum redundantia ad perniciem alicujus rami magni arteriosi arboris ligaturae praestant: veruntamen magnum revera emolumentum noxis non raro sejunctum affert; ita ut fidere operatores nequeant, ne funesta exulceratio succedat, cui natura passive obtemperat ob laesionem subsidiis curationis illatam, quae mechanicis actionibus reactione naturae salutari cum praestent, quippe extranea corpora in morosum vasium

textum agunt ita, ut ipsum ex normali ordine turbent, ac pervertant.

Hisce ex animadversionibus aliquas meas cogitationes evolvere exarareque studui, resque inter sese discrepantes consocians totum consonans, uniforme ad arteriarum continuarum obturationem instrumentum conflare curavi; cujus de excellentia haud nimirum superbivi, ut caeteris aliis praeferendum esset existimarem, sed tantum mihi in animo fuit illustrium Chirurgorum censurae et sententiae humiliter exhibere.

Ex mutui atque exacti attactus tunicarum arteriae necessitate, mihi sponte oblata fuit inventio, duplicis lamellae, quae permanenter ipsas conjungere valeret, quare compressione proxima, vel vulgo immediata jamdiu a Dechamps, Assalini, Parry adhibita usus sum. Sed profecto rationes perpendens, quia talis compressio parvum fautorum numerum sibi comparasset, quia Monteggia et Dupuytren illum rejecere ad scopum a me spectatum haud sufficere cognovi, ast ratus sum ipsam sèrvando illius actionem augere, alio pollente auxilio ad vasi obturationem producendam aptum, ut ex Velpeau experimentis plane constat, eam conjungendo: *Acus* scilicet *puncturae*. Damnis vero, quae ex satis valida compressione, quae phlogosim cum lymphae plasticae sufficienti exsudatione subeunt inferuntur, inductus fui ad augendam acus-puncturae actionem, tantum vis primae, quantum secundae addebam, auferendo.

Ita compressionem acus-punctura concitabam in instrumento a me conflato, cujus rudimentum prius clariss. meo Professore B. Signoroni obtuli, qui eximia comitate me hortabatur ad experimenta instituenda, quae illius docto calamo simul cum instrumenti descriptione in Doctoris Spongia Commen-

tariis inserta fuere (1). Ei quoque instrumentum hoc *ago-pressore* nomine ad convenienter ejus formam, agendique modum exprimendam insignire placuit.

Duabus praecipuis partibus hoc instrumentum, nec non appendice, constat. Prima acus est T. F. I. pollice circiter et dimidio longus, aequus, acuminatus, marginibus secantibus, ubi planus est curvatus, suo in calce scutum, elicticum gerens magnitudine amplitudini operandi vasi crassitiei accommodata. Pars altera vagina F. II. acu tertia parte brevior pariter curvata, cujus marginibus basi respondentibus lamina aequalis scuto acui adnexo sita est. Suo in dorsu convexo cochleam fert, quae circumducta unâ cum acie suum in ductum penetrat. Ambo lamellae pellicula obteguntur. Vagina F. III. partes molles ab acus acie defendit.

Quod autem ad ejus adplicationem attinet satis est arteriam detegere, quin oporteat illam conjunctis partibus sejungi; acus vero infigitur ab extimis ad internas partes prae operantis positione ejus aciem, inferius prius ad superius, dein contra propellendo. Duplici ex vulnere necessario copia atque impetu ita, ut inscium terreret, sanguis prosilit. Index et pollex laevae manus confestim substare debent, arteriam acusque scutum carpendo. Dextera vaginam teneat, per quam acus propellitur, cujus extremitate statim ac acies protrusa erit, digitis prius quam effluvio obstantibus, atque acus hastam firmantibus, arripitur. Opus est laevam manum elevare dexteram dimittere, ut bina inter scuta F. IV. et A. arteria comprimatur. Operatoris erit levem vel validam compressionem exercere, quam prius levem, dein per gradus fortiorem suaderem ne, subito illae

(1) Fasc. di Maggio 1837.

partes opprimantur quae lacessitae sinistre reagere possent. Adparatus firmitate cochleae commendata, acusque acies vagina obducta, vas punctum compressumque remanet. Statim instrumentum micare aspicitur, et cum motibus synchronis arteriae pulsationis columnae sanguinis impulsum signare. Vasis autem in tramite subter punctum, ubi operatio facta est, systolis et diastolis motus illico cessant, et sursum lente evanescunt. Acus praesentia membranas irritat, quae cito inflammantur, sanguinis circuitus perturbatur, et statim sanguinis grumi illum praecingunt. Sanguineus trumbus, qui brevi fit, succedit materiem in extraneam conversus escam inflammationi quoque ipse praebet. Laminae autem, non secus ac comprimentia proxima, et laquei, tunicis stimulum addunt, quin earundem delicatos textus laedant, quoniam laeviter admoveri possunt.

Stimulatae ita membranae acu et duplicis scuti proxima admotione, inflammantur, et illius processus in decursu exoptatam lympham edunt. Arteria sic brevi coalescit. Ego vascularem ductum sanguineo trumbo obstructum ita, ut horas post sex circulantis sanguinis columnae impulsionem infringeret, et duodecim post horas ex lymphae exsudatione idem factum reperii. Observationes hae perspicue et prorsus confirmant quod Scarpa contra Jones doctrinam scripsit, nequaquam tunicarum internarum scissuram necesse esse, nec non Velpeau asserto favent aciculam in vasis cavitate manentem sufficere, ut idem claudatur.

Tamdiu instrumentum hocce adplicitum manere potest, quamdiu Scarpa de temporaria ligatura praescribit, vel melius cederet Prof. De-Marchi normis parere. Cum instrumentum metallicum ad laqueorum extractionem destinatum sanguinis impulsionem indicare desinit, pro certo habet, quod vas obli-

teratum sit, et tunc nodos solvit. Ad nostrum adparatum solvendum cochlea laxetur, et capta vagina, et filum scuti acus foramini adnexum atque elati facillime ambo e vulnere extrahuntur. Emolumenta quae hoc ex instrumento agnosco, rationesque quibus studeo ut Chirurgiae cultores eorum in praxi ipso utantur, sequentia sunt.

Minor haemorrhagiae subsequentis probabilitas. Haec haemorrhagia omnium consensu exulceratione producta ex arctatione vasis a laqueis illata exoritur. Haec totum arteriae ambitum cöercent necessario *vasa vasorum* laedunt. Illorum physiologicae functiones suspenduntur, nec non eorum delicati textus ob hanc diuturnam vexationem, si aeger bona corporis constitutione non fruatur, quod desit ubi diathesis adest, quae aneurysmatibus ortum dedit, facile tenuissimae illorum parietes corroduntur sensim sensimque usque ad tunicarum arteriae lacerationem. Duplex lamina, quae suo in calce descriptum instrumentum gerit parum vel nihil haec vascula laedit, tam leviter ab ipsis compressa, quia arteriosus truncus plana inter parallela continetur. Jugiter aspici potest quot minora damna exurgant, cum pars quaelibet plana inter parallela stringitur, quam si aequali vis gradu praecingatur. Capillaris circulatio, quae vasi parietes constituentium membranarum vitam alit, tali adparatu haud valde laeditur; laminae denique comprimentes, quoniam damae corio obductae sint, minus molestant.

Haud totam arteriam sejungere oportet. Qui pathologiae doctrinae memor, quas noxas partes sejunctae subeant si cum aliis communicatio praecidatur, animadvertet quantum juvet, ut truncus arteriosus, quantum fieri potest, partibus, quibuscum conjunctum est, adhaereat. Tractus vero arteriae, qui vaginis illam vestientibus exuitur vittis praecinctus

tot anostomosium privationem, vasculorumque lacerationem illius conservationi providentium nequaquam tranquille patiuntur. Mihi spectare datum fuit fere flaccidam gangraena arteriis partem correptam esse, quin nihil nocui illam vexavisset. Rationi consona mi suspicio videtur, uti complures haemorrhagiae subsequentes, quae tot operationi subjectos ad interitum duxere, originem potius ab arteriae sejunctione, quam a laqueis ipsis sumsissent. Doctor Fiala mihi asseruit, semper emolumentum se recipisse ex staminibus angulum superiorem vulneris quoties versus duxisset ita, ut arteria in puncto, ubi propinquis partibus adhaesa remaneret, stringeretur. Hoc sua militari luculenta praxi ipse confirmavit.

Celeritas, qua operationis actus perficitur. Doctor Coen scribit: « Noi, quando lo abbiamo speri» mentato, ne trovammo assai facile l'esecuzione.
» Per levarlo poi basta allentare la molla, e stirare
» l'ago per via del filo (1). »

Binarum rerum ad obliterandam arteriam idonearum simultanea actio. Scribit cl. Prof. Signoroni (2): « L'efficacia dell'ago-puntura ha nell'ago
» in discorso ottenuto un considerevole incremento.
» Qualunque sia l'ampiezza o grossezza del vaso, e
» la forza della colonna sanguigna, sia pur lieve la
» quantità di linfa che effonde, e minima la forza
» adesiva della medesima, l'obliterazione del canale
» coronerà estesamente l'opera del Chirurgo. Con-
» fluisce a questa sicurezza di risultato la compres-
» sione che unitamente alla puntura esercita il nuo-
» vo stromento del sig. Giacich. »

Cum obliteratio non successisset, alius non opus est obliterationis. Superius leviter de hoc at-

(1) Enciclop. Ital. Ediz. di Tasso. Venezia, Fasc. VII.
(2) Epistola cit.

tigimus, quod arteria diu et semper obliterationi repugnat, et sic curantis mechanica auxilia omnino irrita reddit. Cum hoc infaustum phaenomenon ligaturis vel temporariis vel permanentibus succedit, vittis ex situ ubi operator illas adplicuerat amotis, circulatio illo in ramo redintegratur, et tunc prima periculosior alia operatio oportet. Cum aliquamdiu post existimaretur instrumenti descripti ope obliterationem successisse, et cochlea laxata et sublevata vagina fuisset, ut a vulnere amoveretur, et contrarium occurreret, compressio iteranda est, et actione ulteriore felicior successus expectandus. Hujuscemodi emolumenta in bruta factis experimentis, fidem prae adplicatione in hominem aegrotum comparare possunt.

Doctor Coen statim ac instrumentum, de quo verba fiunt, aspexit aliis animadversionibus fretus diverse conflatum optavit, et ei tollendo puncturae actionem compressionem saltem habere voluit (1).

Collega meus Aloysius Puppi eamdem acus-puncturae compressionisque actionem, quam ego praxi chirurgicae adjicere conatus sum, aliae formae mechanismum commendat in ejus instrumento, quod a clariss. Prof. Signoroni *Pinzetta aculeata* nuncupatur (2).

(1) Enciclopedia cit.
(2) Omodei. Fasc. di Dicembre 1837.

Prospectus variarum methodorum aneurysmata curandi.

CLASS. I. Curae methodi in regione aneurysmatis adplicitae.	**Gen. I.** Curandi rationes quae textus non laedunt continuitatem, lenteque agunt.	Substantiae stipticae et adstringentes. Glacies, nix. Fasciae. Compressio Guattani. Compressores.
	Gen. II. Curandi rationes violentae textuum continuitatem tollentes.	Incisiones cum tampouibus. Suturae. Electro-puncturae. Cauterisationes. Ligatura duplex. Sacci exportatio.
CLASS. II. Curae methodi arteriae adplicitae aneurysma inter et cor.	**Gen. I.** Curandi rationes lentae sine textuum laesione.	Fasciae et compressiones. Cylindri complanati. Torcularia. Compressores arteriarum mediati.
	Gen. II. Curandi rationes arteriae immediate adplicitae sine earum laesione.	Compressores immediati Dechamps, Assalini et Parry. Acus-pressor a Coen modificatus. Torsio. Ligaturae leves.
	Gen. III. Curandi rationes quae arteriarum tunicas laedunt.	Ligaturae cum tunicarum scissione. Impressiones suturae spiralis Amussat. Ligatura duplex cum arteriarum scissione, et cum obturatione. Acus-punctura. Setones. Acus-pressor Giacich. *Pinzetta aculeata* Puppi.
CLASS. III. Curae methodi arteriae adplicitae aneurysma inter et peripheriam.	**Gen. I.** Curandi rationes sine textuum laesione.	Omnes comprimendi variae methodi.
	Gen. II. Curandi rationes arteriae adplicitae immediate.	Methodus Brasdor.

THESES DEFENDENDAE

I. Princeps aneurysmatum causa spirituosorum abusus.

II. Sine obliteratione arteriae non datur sicura aneurysmatum sanatio.

III. Aneurysma externum interno comitatum nequaquam obliteratione curandum.

IV. Priusquam obliterationis causa arteria operationi submittatur, compressionibus mediatis cura praeparatoria instituenda esset.

V. Ad arterias scissas obturandas torsio laqueis praeponenda.

VI. Crescente civilisatione populorum, tam psychici, quam physici augentur morbi.

VII. A mortalitate nec de Medicina, nec de Medicorum peritia judicandum.


VIII. Arithmetica parum validum argumentum de relativa Medicinae systematis virtute praebet.

IX. Facilius Venerem Mercurio, quam Mercurium Marte, vel quacumque alia vi pellimus.

X. Juxta systema scribere, et non praescribere, licet.

XI. Male tyrones ad Chirurgiae lectulum theoricis institutionibus jejuni admittuntur.

F: I



F: II



F: III



F: IV

